Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

barbarica fieri uel interim mirabilium suorum. Tantum non cessetis pro illis
ingemescere ad dominum & quaerere. quantum potestis & quantum ipse permittat.
cum tempus & facultatem dederit. quid de illis factum sit uel quae possint
habere solatia. Nam de sitifensi ante paucos annos seueri episcopi neptis sancti
monialis a barbaris ducta est. & per mirabilem domini misericordiam cum honore
magno suis parentibus restituta est. Domus enim illa barbarorum ubi captiua
ingressa est. subito coepit dominorum infirmitate iactari. Ita ut
omnes ipsi barbari tres nisi fallor uel amplius fratres periculosissima
egritudine laborarent. Quorum mater animaduertit. puellam deo dedicatam.
& credidit quod eius orationibus sui filii possent ab imminentia iam mortis
periculo liberari. Petiuit ut oraret & pro eis. pollicens quod si salui facti essent
eam suis parentibus redderent. Ieiunauit illa & orauit. Et exaudita conti
nuo est. Ad hoc enim factum erat quantum exitus docuit. Ita illi tam repen
tino dei benedictio salute percepta mirantes & honorantes quod eorum matri promi
serat impleuerunt. Ora ergo dominum pro eis. & rogaui & iam ipsas doceat talia
dicere. qualia supra memoratus sanctus azarias inter cetera in oratione
& confessione sua fudit ad dominum. Sic enim sunt illae in terra captiuitatis suae.
quomodo erant illi in ea terra ubi nec sacrificare more suo poterant domino.
Sicut nec istae possunt uel ferre oblationem ad altare dei. uel inuenire ibi
sacerdotem per quem offerant deo. Donet ergo eis dominus. ut ei dicant quod
azarias dixit in consequentibus per cursum suarum. Non est in hoc tempore prin
ceps. & propheta & dux. Non holocausta. neque oblatio. neque supplicationes.
Nec locus ad sacrificandum in conspectu tuo ut inuenire misericordiam possimus.
sed in anima & spiritu humilitatis accipiamur. Sicut in holocaustomatibus
arietum & taurorum & in multitudine agnorum pinguium sic fiat
sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie perficere subsequenter te. quoniam non
erit confusio his qui in te confidunt. Et nunc sequimur toto corde
& timemus te. & quaerimus faciem tuam ne confundas nos. Sed fac
nobiscum secundum mansuetudinem tuam. & secundum multitudinem misericor
diae tuae. & libera nos secundum mirabilia tua. & da gloriam nomini tuo domine